

subjiciat. Verbo: psychologia scotica non veram scientiam, sed descriptionem quamdam historicam facultatum et operationum animæ exhibet; atque, ut apposite quidam dixit, nihil aliud continet nisi quamdam monographiam facultatum.

ARTICULUS TERTIUS

De materialismo.

Pernitiosi materialismi progressus in hac miserrima nostra ætate quotidie accrescentes; damna et detrimenta tum studiosæ juventuti, quæ in nostris gymnasiis et academiis litteris incumbit, tum publicis populi moribus ex illo generata; impudens et procax hujus systematis peculiaris indoles, omnia suo imperio subjugare contendens, atque omnes societatis actus suo veneno pervadens; lethales denique fructus hujus atræ pestilentia, quæ tot ac tam infanda mala Reipublicæ attulit et affert, hæc omnia, inquam, nos ad quædam circa materialismum dicenda compellunt, quibus ea, quæ de animæ origine supra declarabimus, magis elucescunt. Quia vero materialismus in sua essentia includit et atheismum et fatalismum, quorum confutatio ad Theodiceam et Ethicam respective spectat, hic de materialismo in sua tantum cum psychologia relatione pertractabimus.

Notum est, implicitam vel explicitam Dei negationem, sicut et animæ humanæ libertatem, et ejus existentia, ut spiritus, eversionem, triplicem materialismi thesim præcipue constituere. Hujus autem triplicis negationis fundamentum et materialismi capitalis error est sequens propositio: *Omne, quod in mundo existit, vel materia est, vel materiae motus.*

Solet materialismus his, qui circa illum studiose occupantur, fucum facere, autumando, se conclusiones in factis et phænomenis innixas tantum admittere, et sicut positivismus, materialismi legitimus pater, oculos lectoris perstringit, cum jactabundus affirmat, omnem materialismi doctrinam ex constanti experientia deductam esse et factorum observatio-

ne comprobata. Nihil tamen a veritate magis alienum; in materialismo enim hypotheses gratuitæ continuo abundant, et conclusiones incertæ sunt et prorsus indemonstratæ. Asserunt, v. gr., materialistæ et cum scientifica gravitate statuunt, materiam in sua magnitudine infinitam esse, et in sua duratione æternam; sed dicant, quæso, unde hoc sciant et qua ratione didicerint: numquid universam existentem materiam suismet oculis perspexerunt? numquid exordiis et materiae productioni illi astiterunt? numquid æterni sunt, ut illis de materiae æternitate testificari liceat? quomodo ergo talia, absque evidenti temeritatis nota, asseri et autumari possunt? Et non solum arbitrariæ sunt materialismi asseverationes, sed etiam derisoriae et omni scientiæ adversantes apparent, cum argumenta perpenduntur, quibus materialistæ ipsas tueri intendunt. Materia, ajunt, infinita est, «neque principium neque finem in spatio habens, quia ejus extensionis finem et ultimum gradum, tum in macrocosmo, tum in microcosmo quærentes, numquam invenire possumus». Bene sit, et quid inde? Hinc tantum inferre licet, materiae divisibilitatem, sicut et mundi magnitudinem per telescopium manifestatam, intelligentiæ nostræ acumini non subjacere, et oculi humani vires longe superare, non autem, ut materialistæ faciunt et ut Buchner asserit, materiam esse infinitam, tam in sua magnitudine, quam in sua duratione, quod quidem deducere absurdum est et ratiocinandi legibus omnino repugnans.

Hæc argumentandi ratio invenitur in omnibus materialistarum libris, substantialiter eadem, quamvis forma distincta; parum vero laboris requiritur ad dignoscendum, materialismi systema nullo modo respondere in praxi ejusdem theoriis; habet quidem semper in ore verba *experientia, observatio, praxis, facta*, etc., sed re quidem vera materialismi ratiocinia et in præmissis hypothetica sunt, et in conclusionibus vitiosa et illegitima, propterea que a vero scientifici systematis nomine materialismus longe distat.

Hoc autem prima fronte apparet, si materialismum in sua phasi psychologica singillatim perpendamus. Notum est Ca-

banis dictum: *Cogitatio est cerebri secretio*. Quasi autem hic dicendi modus minus solutus esset, et ad posteriores materialismi progressus explicandum minus idoneus, rudiori forma Vogt dictum Cabanis exposuit dicens: *Inter intelligentiam et cerebrum eadem existit ratio quam inter bilim et hepar, seu inter urinam et renes*.

Hanc dicendi formam plus æquo liberam et plane injundam Buchner, etsi materialismi acerrimus propugnator, ut nimis crudam rejecit, et ejus rigorem temperare curavit, asserens, intelligentiam materiam non segregare, sed *vires*, vel quod idem est, cogitationem vim vel motum esse cerebri. *Hepatis vel renum segregatio*, ait Buchner, *locum habet citra intellectus nostri cognitionem et nervorum activitatem, et materiam palpabilem producit; activitas vero cerebri sine conscientia nequit revera existere, nec intellectus materiam, sed vires producit*.

Juxta materialismi radicale principium, nec vis est absque materia, nec materia absque vi. Certe, sicuti novissima hodiernæ Physicæ testimonia, plus vel minus vera, edocent, motus calorem producit et calor motum; unde materialismus infert, actum cogitandi nihil aliud esse quam motus transformationem, vel cerebri motum ejus structuræ, formæ, et nervorum excitationi respondentem. Hoc autem nugari magis quam ratiocinari videtur. Si materialismus assereret, actum cogitandi motum in cerebro supponere et exigere, et specialem cerebri partium structuram actus intelligentiæ modificare posse, forte a veritate non tam longe abesset, hoc enim, saltem quibusdam conditionibus, acceptabile est; intelligentiam vero et cerebri massam vel ejus motum unum et idem esse affirmare, absurdissimum est et prorsus gratuitum; neque enim intellectus nec etiam phantasia inter motum cerebri et cogitandi actum identitatem unquam invenire poterunt. Insuper, si verum est, ut volunt Buchner et Moleschott, actum cogitandi nihil aliud esse quam cerebri motum, necesse est, hunc motum esse tardum aut velocem, rectum vel curvum, sunt enim omnis motus naturales leges; dicant ergo

nobis, si motus, qui cogitandi actum producit, est velox vel remissus, rectus aut curvus, et si his satisfacere nequeunt, jure merito eis dicemus, suam theoriam omnino rejiciendam esse, utpote barbaram et ineptam et cum materialismo Cabanis et Vogt prorsus conformem.

Enimvero ultro crederes, talem tamque gravem materialismi assertionem proluxa factorum et observationum serie tuta quidem et fallere nescia solide inniti, habita præsertim ratione securitatis, qua nobis materialismus asseruit, nihil se affirmare vel negare nisi constanti experientia comprobatur; verumtamen penitus falleretur, qui illis fidem daret. Legantur materialismi libri, et imprimis Buchner textus, ubi *de cerebro et anima, de intelligentia, de personali existentia post mortem*, agit. Quid invenies? Factorum et observationum seriem, qua comprobatur, quod nemo ignorat, hoc est, intelligentiæ et cogitationis actus cum cerebri incremento, forma, pondere et structura, nexum et concordiam habere; quod quidem verum est apud omnes, nullus unquam ullo tempore negavit, et est vulgaris notio non tantum his, qui philosophiam colunt, sed etiam omnibus sensu communi præditis, et in hoc schola materialista et spiritualista conveniunt. Sed, cum materialistis pro tuendo suo systemate hoc non sufficiat, ultra progrediuntur et, ratiocinii legibus oblivioni datis, inferunt præterea, intelligentiæ exercitium nihil nisi cerebri motum esse vel cerebri segregationem: quæ quidem illatio in præmissis nulla ratione continetur, et ideo evidenter illegitima est et aperte sophistica; confundit enim conditionem et conditionatum, relationem cum identitate, et conditioni præviæ et *sine qua non* tribuit, quod essenziale et proprium est principii generantis tantum.

Quid est ergo, quod circa hanc magni momenti rem docent scientia, ratio et communis sensus? Paucis dicam. Experientia et factorum observatio tantum docent:

1.º Inter cerebrum et intelligentiam correlationem existere, et actus intelligentiæ diversos et varios statui et mutabilitati cerebri respondere.

2.° Hujusmodi inter cerebrum et intelligentiam relationem, quæ in homine realis et positiva est, posse non esse omnino necessariam in aliis entibus vel substantiis superioribus homini, in quo hæc relatio originem ducere potest ex animæ cum corpore unione, in quibusdam hujus unionis circumstantiis, et in ipso corpore.

3.° Naturam intellectionis in omni casu et secundum scientiæ leges regulari et definiri non debere per simplicem relationem et concomitantiam diversorum cerebri statuum, sed per proprietates et attributa, quæ sensus intimus vel experientia intima, æque saltem fide digni ac experientia externa vel observatio sensibilis, in intellectione agnoscunt; proprietates et attributa, inquam, quæ nihil omnino commune habent cum attributis materiæ et ejusdem motu. Apprime hoc sciunt materialismi propugnatores, et ideo argumentis spiritualismi, quæ repugnantiam inter simplicitatem, stabilitatem, unitatem et indivisibilitatem *ego* cum materialismi theoriis aperte demonstrat, responsum dare renuunt.

Sequamur autem evolutiones materialismi, qui, aliud argumentandi genus sublimius et magis universale adhibens, dicit: simplex principium est compositi, et ex imperfecto perfectum oritur. Nunc vero, ut veritatem ostendant hujus axiomatis, supra quod materialismi ædificium erigere conantur, quasi de victoria securi sic effantur: testatur experientia, processum simplicis ad compositum et imperfecti ad perfectum legem esse universalem. Extensio et vis mechanica vires physicas præcedunt, vita vires chemicas sequitur, sensatio vitam, intelligentia sensationem. Bene sit: omnibus his materialismi dictis admissis, quid inde logice inferri potest? Nihil omnino, quod thesis materialistæ demonstratio vocari possit. Vita quidem phænomena physica et chimica ut conditionem supponit; sensatio vel vita sensitiva supponit vegetantem, et ejusdem est comes; vita intellectualis vitam sensitivam supponit et includit; omnia hæc sunt quidem vera, sed hinc concludere, vires chemicas causam esse vel princi-

pium generans vitam, hanc principium sensationis, sensationem denique cogitationis, nec logica nec sensus communis patiuntur; quinimmo materialistæ, factorum et experientiæ inductionibus inhærendo, ut facere se jactant, deducere deberent, magnam et radicalem existere differentiam inter vires, quas illi convertere conantur in transformationes et modificationes unius ejusdem vis. Observemus, ex gr., quod accidit in animali: dum vitam habet, motus mechanici, physici et chimici minutissimarum corporis ejus partium subordinantur et subjiciuntur vi vitali, quæ quodam modo absorbet, impedit et modificat externa viribus physicis et chemicis propria et peculiaris, ut in sanguinis circulatione et in quibusdam membrorum et corporis motibus videri potest. Cum autem in morte vis seu principium vitale recedit, corporis partes remanent subjectæ legi universali, quæ vires mechanicas, physicas et chemicas regit. Si ergo in brutis principium vitale efficaci est ad operandum contra quod naturaliter exigunt inferiores vires; si impedire, modificare et mutare potest earumdem operandi modum, impossibile est concipere et demonstrare, vim vitalem effectum esse inferiorum virium, nec has principium esse elementale illarum. Ergo hodiernus materialismus, cum asserit, sensationem transformationem esse vitæ vegetantis, hanc autem derivationem vel effectum proprietatum et virium materiæ, non solum logicam præterit, sed insuper conatur factum explicare per simplicem hypothesim pugnantem cum experientia, quæ materialistis unicum est certitudinis et veritatis criterium.

Fingere et affirmare, ut hodiernus materialismus facere solet, ontologicam entium progressionem summam esse eorumdem transformationis, evolutionis sensibilis, *infinitesimalis*, ut ait Spencer, est asseverare id ipsum, quod disceptatur, est vera petitio principii, et promiscue sumere successionem et efficientem causalitatem, conditionem et principium generans, legem continuitatis et legem evolutionis. Transitus elementariæ materiæ ad vitam, et transitus præsertim virium chemicarum, et etiam vitæ vegetantis ad con-

scientiam et cogitationem sunt et erunt semper scopulus materialismi; hic enim ejus impotentia aperte revelatur, dum vice factorum et observationum adducere nescit nisi hypotheses et illogicas conclusiones.

Mala, infortunia et incommoda, quæ ex negatione Dei, animæ et ejus immortalitatis, liberi arbitrii et vitæ futuræ sequuntur, quæ negationes materialismum præcipue constituunt, sufficerent et revera sufficiunt ad ejus falsitatem declarandam. Nos vero hujusmodi argumenta prætermisimus, quia viritum contendere cum materialismo in sua propria arce volumus, in ipsamet, scilicet, inductione et factorum observatione, quæ materialismi sunt fortissimum propugnaculum. Sic etiam iter occludimus materialistis, qui, cum argumenta ex absurdis et incommodis eis opponimus, ea injuste rejiciunt, dicendo, robur et firmitatem cujuslibet philosophici systematis æstimari non debere illius consequentias perpendendo, sed ex ejus intrinseca veritate.

LIBER TERTIUS

IDEALOGIA

Momentosam quæstionem de ideis idearumque origine, a tota retro antiquitate ad nostra usque tempora, magno æstu philosophi ferme omnes agitarunt. Nec absque ratione et fundamento: ea namque ejus est naturæ, ut cum quæstionibus circa naturam et originem animæ humanæ, rationis et cognitionis intellectualis arcte conjuncta sit. Nobis vero, quibus operis elementarii condiciones prætermittere non licet, præcipua tantum hujus quæstionis capita summatim attingere fas est. Unde dicemus: 1.º de idearum natura et existentia; 2.º de variis systematibus circa idearum originem; 3.º de vera idearum origine. Idealogiam porro hic versamus, quia veluti pars quædam, vel complementum potius totius psychologiæ jure merito spectari potest.